



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Antiqui Pragmatici appellatione ab abusu in re ecclesiastica usi sunt ante Concordata: quæ, cùm de rescriptis Papæ agebatur, sub sidiaria erat appellationi ad Papam & ad Concilium. Error ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

penderent, is profectio restauratam plenissime in Gallia his Concordatis regia tuitio- nis auctoritatem inveniet. Franciscus vero, ut se ab onere expediendarum litium exime- ret, curam custodiendae pacis in Curias Parlamenti refudit, literis hac de re datis anno millesimo quingentesimo decimo sep- timo. Ex eo tempore, quemadmodum olim, si quid adversus decreta canonum & for- mam à Pragmatica Sanctione praescriptam actum esset, querela ad Regem, deinde ad Senatum delata, omnia restituebantur in integrum, ita etiam Concordatis violatis, Senatus officium imploratum est per appel- lationes ab abusu.

III. *Abusus* quidem dictio foro nostro ab aliquot saeculis in hoc causarum genere non erat incognita; quamvis appellationis formula nondum frequentaretur. Etenim Durandus Mimatensis Episcopus monuit, seculares iudices solitos illa tempestate, id est, ante trecentos & triginta annos, hac exceptione iudices ecclesiasticos de turbata iurisdictione conquerentes repellere, quod eorum actus essent abusus. Eodem tempore Ioannes Parisiensis Theologus scripsit, *abusum* gladii spiritualis, quo seditio excitaretur, repellendum esse per gladium tempo- ralem Principis, cum moderamine. Deinde anno MCCCLXXXV. Procurator Regius as- seruit Regis officium in eo versari, ut *revoca- ri* faciat omnes *interpretas, offensiones, & abu- sus per iurisdictionem spiritualem in iurisdictione temporalis praedictum factos vel factas*. Post Concilium Constantiense vox ista fre- quentius usurpari coepit, quia tunc discussa est plenitudo potestatis ecclesiasticae, & tractatum de illius legitimo usu regulis qui- busdam praescribendo, ne non tam uti plenitudine potestatis contingeret, quam *abuti* plenissime, ut loquitur Gerson. Hoc ver- bum deductum est à Simplici Papae vulga- to loco, relato apud Gratianum: *Privile- gium dignitatis meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate*, id est, qui fines pote- stati suae assignatos à lege aut à canone tran- sgredditur, qui porrigit se ultra quam sibi concessum sit. Vnde Hadrianus II. Hinc- maro exprobrat quod ministerio juris epis- copalis abuteretur: *Miranda est plane vestra fraternitas, inquit, quare ministerio juris epis- copalis in regionibus illis abutitur*. Sigebertus eo sensu vocem illam usurpavit, de Urbano II. & Guiberto loquens: *Dum alter in alte- rum excommunicandi auctoritate, magis ex suo libitu, quam ex iustitia respectu, abutitur, au- thoritas illius qui dedit potestatem ligandi & sol- vendi omnino despiciuntur*. Quin & Robertus Lincolnienfis: *Non potest sanctissima sedes apo-*

stolica aliquid vergens in huiusmodi peccatum vel mandare vel praecipere. Hoc enim esset sua potestatis abusus.

IV. Ceterum etsi *abusus* significatio quamcumque ministerij spiritualis aberratio- nem complectatur, sive in negotiis ecclesia- sticis, seu in temporalibus versetur, ut pa- ter ex testimoniis jam relatis; attamen for- mula appellationum ab abusu specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querelae illi quae à Clericis adversus vim ju- dicum ecclesiasticorum ad magistratus re- gios deferretur, sive de rescriptis Romanae curiae conquerantur, sive de iudiciis Episcopo- rum. Etenim ante Concordatorum editio- nem Procurator Capituli Parisiensis à deci- ma indictione quam anno MDI. Alexander VI. in Gallia exigi iusserat ad juvandas uni- versalis Ecclesiae necessitates, appellavit Pa- pam melius consultum, synodum univer- salem primo celebrandam, necnon supremum Dominum nostrum Regem Christianissimum ec- clesiasticae libertatis conservatorem piissimum, & ad eius supremam Parlamenti Curiam, ac ad il- lum vel illos ad quem seu quos de iure vel con- suetudine in hac parte provocare & appellare li- cet. Quae verba observanda sunt, ut inde pa- teat in hoc casu appellationem ad Regem subsidiariam fuisse appellationi ad Conci- lium, in hac enim de iniquitate, in altera de abusu tantum disceptari potest, & unius sub- sidio juvabantur appellantes, dum alterius praesidium expectabatur. Ita enim distri- buenda sunt verba quae sequuntur: *Et quia hanc appellationem prosequi poterit per viam nul- litatis, iniquitatis, excessus, vel abusus, aut aliam quam ex his duxero, optio mihi seu di- ctis Dominis meis semper reservata*. Solet alle- gari à viro doctissimo Choppino & aliis Pragmaticis, ad probandum usum harum appellationum ab abusu, provocatio inter- posita per Petrum Courthardi Advocatum Regium à monitione quam Innocentius VIII. anno MCCCCXXXVIII. decre- vit adversus Flandros regno Galliae subdi- tos. Sed formula illa non ad Regem aut Curiam Parlamenti dirigitur, verum ad Papam modernum melius informandum, & san- ctam sedem apostolicam, seu ad eum vel eos ad quos iure provocare potest vel debet. Quamvis ea sententia esset, tum Petri Courthardi, tum Ioannis de Nanterre, qui anno MCDLXXXIV. à legatione Balluae Cardinalis à Sixto IV. imposita ipsum Sixtum vel eos appellaverat qui appellandi essent; ut pendente illa appellatione nihil innovare- tur, omnemque innovationem Princeps suae auctoritatis praesidio impediret.

V. Eas quoque appellationes ab Episco-

L I iij

Durand. T. 2. de modo Concil. gen. edit. Kol. 70.

Ioan. Paris. cap. 21. de potest. reg. & Pap.

Tam. 1. Lib. c. 7. n. 17.

De potest. eccles. Concil. x.

C. Fin. Dist. 74. c. 1. de iurisdictione x. 1.

Hincmar. in ep. ad Hadr.

Sigebertus in tract. de Vitae Eccles.

Apud Monachum Pithin Henrico 111.

Tom. 11. Libert. C. IV. N. 2111. & C. 2111. B. 14.